



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

Ixvii. De molli & humida destillatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

puluis, eoque, cum exiget vsus, palatum
& fauces illius defricentur.

De molli & humida destillatione.

MOLLIS destillationis hæc sunt signa. primum ex naribus aqua defluit, deinde sternutamenta; sputa, mucicrassi ex naribus erumpunt, oculi humore redundant & tumescunt. hanc iisdem pharmacis eodem modo quo humidam curabis. Sunt qui laser in aquam conijciant, idque maderi & macerari tandiu sinant, dum aqua dissolutum sit, eoque conspersum pullum columbinum adhuc calentem dent accipitri. Cum accipiter assidue liquorem per os & nares emittit, & palpebræ tumescunt, hic non eget auxilio vnguentorum, quæ ipsum nihil iuuant, sed magis humorem destillationis augent. Vtere duntaxat hoc remedio, quod recipit piperis triti & cribrati pulueré. is naribus inspiratus sanum facit accipitrem. Cum caput atque oculi tument, & stertit, & sibilum edit accipiter, hoc curabitur remedio, quod continet piperis grana quadraginta, costi sextulam, opij scrupulum, folij, pyrethri, euphorbij, singulorum scrupula bina, pedi-

culariæ grana viginti, opobalsami ligulas
treis. arida contundatur, liquidis miscean-
tur, opium vino conspergatur, & liquidis
adijciatur, eoque vtere, cum erit opus.
Humidam & mollem pituitam apertè in-
dicat defluxio ex oculis & naribus. Primū
remedium est perungere palatum semi-
sextula supradicti ynguenti. Quod si per-
manet morbus, laurini olei guttas binas
singulis naribus instilla. Si ne hoc quidem
adiuuatur animans, eius capiti ferrum can-
dens sic admoueto, quemadmodum paulo
post dicetur. Rutæ puluisculus diligenter
tritus, illius naribus inspiretur, calidis car-
nibus auium vescatur, neque omnino in
sole manere permittatur: exigua aqua vta-
tur ad commodius accipienda auxilia.
Humida pituita deprehenditur, cum circa
oculorum angulos & tempora humor
spumeus fertur: cum frequenter sternuit,
euellantur plumæ ex eius temporibus, ve-
næque fricatione excitentur, vt ex tempo-
ribus emineant, deinde exiguo ferro can-
denti scite adurantur, & quam mox vino
mero conspergantur.

Ad